

98

# THESES PHILOSOPHICÆ IN ACADEMIA INGOLSTADIANA XI. CALEND. IANVARII PVBLICÈ disputandæ. Ad quas Præsides humanissimo viro M. Friderico Landauo Fachensi, Tullianæ Lectiois Professore, respondebunt Modesti & Eruditi Iuvenes Daniel Prockelius Vuogstadiensis Morauus, Artium bonarum Baccalaureus, & Michael Hilebrandus Silesius, Philosophiæ Studiosus.



II.

**N**on leuis contentio est inter Grammaticos de Orthographia & Ethymologia Nominis Virgilij: Quidam à Vergilijs deductum per E scribendum censent: quidam uerò per I, quòd existiment Virgilium uel à uirga laurea, quam mater prægnans somniarat, uel à uirga populea, quæ pro more regionis in puerperio eius depecta statim coaluerat, denominatum fuisse. Nos saluo tamen aliorum iudicio, posteriorem opinionem ut antiquiorè, ita ueriores amplectimur. Similiter inscriptio librorum Ciceronis de Officijs siue Officiorum à Doctis in controuersiam trahitur. Nonnullis. n. in Singulari numero Officij siue de Officio longè absolutior uidetur. Verum nos inscriptionem Numeri pluralis pleniorè esse cum Authore contra Calcagninum tuebimur.

## GRAMMATICÆ.

III.

**Q**uòd Tullius in partitionib. suis quatuor tantum orationis partes, Exordium scilicet Narrationè, Confirmationem, & Conclusionè enumerarit, in Rhetoricis uerò adhuc alias duas Diuisionè putat et Confutationè adiecit, facili opera huius incòstantiæ excusari posse uidetur. Cum illic Còfirmatio generatim accepta has quoq; duas posteriores suo ambitu còplectatur. Narrationem quidem breuem esse oportet, ita tamen ne nimia breuitate obscura fiat, aut minus credibilis habeatur. Sanè aliquid superesse satius, quàm deesse cum Quintiliano censemus. Vt enim superflua cum tædio audiuntur: ita necessaria non sine periculo subtrahuntur.

## RHETORICÆ.

III.

**S**ubstantiam Categoriarum primam contraria quidem suscipere, sibi uerò nihil per se contrarium esse affirmabimus.

VI.

**N**omen apud Dialecticos rectè definitur, quod sit uox ex instituto sine tempore finitum aliquid in casu recto significans, cuius nulla pars separatim aliquid designet.

VII.

**M**aior & Minor propositio præmissæ dicuntur, non tantum quod conclusioni præmittantur, sed etiam quòd hac ipsa prius cognoscantur: Maior quidem & tempore & natura, Minor autem natura solum.

## DIALECTICÆ.

## PHYSICÆ.

VIII.

**Q**uamuis Aristoteles asseueret, nullius artis esse contra negantem sua principia disputare, ipse nihilominus cum Parmenide & Melisso motum tollentibus manus conserat, attamen eum sibi ipsi non dissentire ostendemus.

IX.

**C**um Ortus & Interitus rerum naturalium ex motu Cælorum pendeat, non est inconueniens dicere, cessante Cælorum motu, cessare etiam rerum cum Generationem, tum Corruptionem.

X.

**V**tilis atq; controuersa inter Physicos quæstio est: Vtrum sensus circa suum proprium obiectum errare queat. Nos Authoritate Aristotelis freti negantem partem tenebimus.

XI.

**Q**uandoquidem respiratio est aëris per arteriam asperam à Pulmone attractio & remissio, Pisces uerò pleriq; in aquis perpetuò degentes utroq; instrumento carent, nemini mirum aut à ueritate alienum uideri debet, si eosdem non respirare, & per consequens, nec uocem edere cum Peripateticorum principe astruamus.

## METAPHYSICÆ.

XII.

**C**um Aristoteles in mouentibus & motis non esse progressum infinitum contendat, & tandem Primum aliquem Motum rem demonstrat, per hunc Deum affirmamus ipsum intellexisse.

XIII.

**Q**uem quidem purum actum, immobilem & potentiae passiuæ omnis expertem ab eodem rectè dici existimamus.

## MATHEMATICÆ.

XIII.

**I**nter Mathematicas artes Arithmetica principem locum obtinere contendimus, quòd hæc non solum ad reliquas Mathematicas disciplinas aditum patefaciat, sed suis etiam contenta dotibus nihil alienum requirat.

XV.

**E**ius aut primam inuentionè Chaldaeis siue Arabibus referendam esse, hodie quoq; præpostera numerorū demonstrat collocatio.

XVI.

**Q**uia Musica ob eam causam adhibenda est, ut non tantum animum uoluptate quadam afficiat, sed eius quoq; habitum benè constituat, inter reliqua Musicæ exercitia Tibiarum Artem in bonarum literarum Studio cum Aristotele damnamus, quòd illarum inflatu mens ratioq; perturbetur.

XVII.

**Z**odiacum circulum rectè quidam à ζωδιακόν denominatum putant, quòd eius signa conuenientem quandã proprietatem, cum istiusmodi animalibus habeant.

## ETHICÆ.

XVIII.

**C**um Epicurei summum bonum in uoluptate statuunt, idq; suis commodis non honestate metiantur, rectè Cicero collegit, eos si sibi ipsi consentirent, & non interdum naturæ bonitate uincerentur, neq; amicitiam colere posse, neq; iustitiam, nec liberalitatem, nec fortitudinem, nec etiam temperantiam.

XIX.

**D**isputatio de Officijs apud Ciceronem à definitione optimè instituitur. Est autem hæc Officij proba definitio, ut sit id, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.

